



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An intellectus Christi humanus, increatâ Dei intellectione potuerit
intelligere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

& muneri redemptoris congruebat perpetua
virginitas, cum qua actualis generatio non com-
paratur, ideo in Christo debuit esse intellectio
creata, non verò actualis generatio.

ARTICULUS II.

*An intellectus Christi humanus, increatus a Dei
intellectione poterit intelligere?*

- 10 **P**artem affirmativam, præter Authores articu-
lo præcedenti citatos, tenet Egidius à Præ-
sentatione lib. 4. de beatitudine quæst. 1. art. 2. §.
5. ubi negat quidem intellectum Christi huma-
num, de facto per increatam Dei cognitionem
intellexisse, asserit tamen id posse contingere de
potentia absoluta, & non posse ostendi, senten-
tiam Hugonis Victorini, asserentis intellectum
Christi humanum de facto per intellectionem
divinam & increatam intellexisse, implicare
contradictionem. Oppositum docent alii Theo-
logi, tam domestici, quam extranei, cum D. Tho-
ma hic art. 1. ad 1. ubi ait quod divina operatio
increata non potuit esse anima humana Christi, cum sit
alterius nature. Idem docet quæst. 20. de verit. art.
1. in corp. & in resp. ad 9. in 3. dist. 14. quæst. 1.
art. 1. ad 1. & pluribus aliis in locis, Unde sit

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

- 11 **D**ico igitur: Intellectus Christi humanus non
potuit, etiam de potentia absoluta, per in-
creatam Dei intellectionem intelligere.

Hanc conclusionem probat Vazquez 1. 2.
disp. 7. cap. 2. ex verbis sextæ Synodi actione 17.
in confess. fidei, quibus Synodus allegato S. Leo-
ne, ait duas esse statuendas in Christo pro dupli-
ci natura operationis. Tum subdit: Neque enim in
quoquam unam dabitur naturam operationem Dei &
creature, ut neque quod creatum est, in divinam educa-
mus essentiam, neque quod eximum est divinam naturam, ad
competentem creaturæ locum deiciamus.

Hic tamen locus non probat impossibile esse
intellectum creatum intelligere per actionem in-
creatam, quod tamen probandum esset, sed tan-
tum probat, impossibile esse operationem Dei
esse creaturæ naturalem, quod ex terminis patet
esse impossibile, quam vis absurdissimè à Mono-
thelitis quos ibi damnat Synodus, admitteretur.

- 12 **A**ptius videtur adduci posse Agatho Papa
Epist. ad Augustos, quæ habetur actione 4. ejusdè
Synodi, verbis illis quæ subjicit post adductum
locum D. Augustini ex lib. 5. contra Julianum:
Non potest angelica natura Divinam habere voluntatem
aut humanam, neque humana natura voluntatem
Dei vel Angeli. Ergo nec Dei cognitionem aut sci-
entiam potest in se humana natura habere, cum
eadem sit ratio de cognitione ac de volitione.
Nec dici potest, ibi sermonem esse de lege ordi-
naria, non de potentia absoluta; nam ibi agitur
de Christo, cujus Incarnatio miraculosa fuit, &
divinæ omnipotentis opus perfectissimum, &
maximè extraordinarium.

- 13 **P**otest insuper probari conclusio ratione fun-
damentali, quæ sic potest breviter proponi. In-
telligere essentialiter est vivere gradu perfectis-
simo vitæ; Sed implicat intellectum creatum vi-
vere per intellectionem divinam & creatam;
Ergo & per illam intelligere, Major patet, Mi-

nor verò ostenditur primò. Implicat naturam
divinam sub conceptu vitæ radicalis uniti
creaturæ, illam radicaliter viventem constitu-
do ut communiter docent Theologi; & potest
quia alias essentia divina posset uniri per ma-
dam formam physicam, & in esse entitativo, & in
formate corpus, quod maximam imperfectionem
nem importat. Ergo etiam implicat, quod sub
conceptu vitæ actualis unitatur naturæ creatæ,
illamque actu viventem constituat. Patet Con-
sequentia, tum à paritate rationis, tum enim
quia actus vitalis alicujus naturæ; cum ab illa
sua specificationem desumat, communicari
nequit, non communicatâ naturâ. Quia ratio
ultra est S. Thomas locis supra citatis eamque
sumptim ex Ambrosio lib. 2. ad Gratianum cap.
10. asserente, ubi est diversa substantia, non po-
se unam operationem intelligi.

Confirmatur: Implicat voluntatem creaturæ
liberè velle per volitionem liberam Dei sibi
trinitate unitam. Ergo & intellectum humanum
per increatam Dei intellectionem intelligere.
Consequentia videtur manifesta, ex paritate ra-
tionis: Antecedens verò sic ostenditur. Voluntas
libera debet esse in potestate & dominio volun-
tatis: Sed volitio divina nequit potestati aut do-
minio creaturæ voluntatis subesse: Ergo implicat
voluntatem creaturæ liberè velle per volitionem
Dei liberam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Precipua Adversariorum argumenta sumuntur
aut ex tribus exemplis, in communibus Theolo-
gorum doctrina, vel saltem in Schola D. Tho-
mæ, communiter receptis. Constat enim, Deum
communicari naturam humanam per modum sub-
sistentiæ, & secundum communem Thomistarum
sententiam, supra expositam, etiam
communicatur in ratione existentis. Similiter
communem Theologorum sententiam, com-
municatur essentia divina in ratione speciei im-
pressæ intellectui beatorum, & secundum proba-
biliorem Thomistarum opinionem, etiam
communicatur in ratione verbi & speciei im-
pressæ. Ex quibus tribus exemplis, tria possunt
erui argumenta contra nostram conclusionem.

Primum est: Quia substantia Verbi emanante
ter continet perfectionem substantiæ creatæ,
uniti potuit humanitati Christi, illamque subsi-
stentem reddere: Sed intellectus & divina essentia
eminenter intellectionem creatam: Ergo potest
uniti cum intellectu creato, illumque intelligen-
tem constituit.

Secundum sic procedit: De facto essentia di-
vina unitur intellectui animæ Christi, sub rati-
onem & munere speciei intelligibilis; Ergo de fa-
cto unitur, vel saltem potest uniri, per modum
intellectionis. Consequentia videtur legitima,
tum quia in probabiliori & communiori Tho-
mistarum sententia, ratio intellectionis, & ratio
speciei, cum ad eandem lineam intellectum
pertineant, non distinguuntur in Deo virtualiter.
Tum etiam, quia non videtur major repugnan-
tia, quod essentia divina per modum actus
cuncti intellectui nostro unitatur, quam quod illa
ad modum actus primi ad actualem intellectionem
nem terminantur communicetur.

Tertium argumentum sic potest proponi. De
facto unitur divina essentia membris beatorum
ut verbum; Ergo unitur, vel saltem potest uniri

intellectui animæ Christi, sub conceptu intellectio- nis. Consequentia manifesta videtur, tum quia juxta plurimum Philosophorum sententiam, verbum ab intellectu non distinguitur. Tum etiam, quia dato quod ab illa distinguatur, est tamen de ratione verbi, quod sit vitale per modum termini, ut docet D. Thomas quæst. 4. de verit. art. 2. ubi ait, de ratione verbi esse quod sit expressum & productum ab intellectu seu intelligente, ex quo infert Verbum in divinis non essentialiter, sed tantum notionaliter dici; Ergo si non obstante istâ vitalitate, possit divina essentia per modum verbi cum intellectu creato uniri, poterit etiam, non obstante vitalitate actûs intelligendi, uniri per modum intellectio- nis intellectui animæ Christi, illumque intelligentem constituere.

Hæc sunt præcipua Adversariorum fundamenta, quæ ex principis paragrapho præcedenti status facile possunt convelli. Ad primum enim respondeo causalem majoris adæquatam non esse, sed insuper esse addendum, quia in unione per modum substantiæ, nulla importatur imperfectio physicae informationis, dependentia, vel identitatis cum natura cui unitur, sed præcisè ratio terminationis in unione autem sub conceptu & munere intellectio- nis cum intellectu creato, involvitur imperfectio physicae informationis, & realis egressionis, aut physicae identitatis, ut præcedenti declaravimus, & ideo quamvis intellectio divina eminenter contineat perfectionem intellectio- nis creatæ, non potest uniri cum intellectu creato, nec ipsam intelligentem constituere. Unde Cajetanus hæc ait. 1. Quia personalitas divina potest fieri personalitas humana nature, sine eo quod sit actus ejus; intelligere autem non potest fieri actus intelligendi anime humane nisi fiat actus ejus: idè non repugnat communicari personalitas, & repugnat communicari intellectio. Dicitur autem intellectio fieri actus anime, quia illam informat, & ab ea procedit; unde idem est actus diceretur, intellectio- nem divinam anime humane non posse communicari, quia nec illam informare, nec ab ea procedere potest.

Dices. Etsi substantia creata dimanet à natura quam terminat, potest substantia divina naturam creatam terminare, absque eo quod ab illa dimanet: Ergo pariter, quamvis intellectio creata ab intelligente per ipsam procedat & egrediatur, poterit intellectio divina naturam creatam intelligentem constituere, absque eo quod egrediatur vel procedat ab illa.

Respondèo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio verò discriminet, quia licet substantia creata velut emanet à natura quam terminat, hoc tamen non habet ex formali conceptu & munere substantiæ, sed ex ratione limitationis creaturæ, & idè potest substantia divina illius effectum supplere, & naturam creatam reddere substantiam, absque egressione ab illa: quod verò actio intelligendi ab intelligente egrediatur formali- ter virtuali egressu, convenit illi ex communi & formali operationis cõceptu; unde nequit intellectio divina naturam creatam intelligentem constituere, nisi vel cū illa identificetur cum egressu virtuali, vel ab illa realiter egrediatur, quorum utrumque maxime imperfectio- nem importat.

Ad secundum respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam, ad cujus pri-

am probationem dicendum quod licet ratio speciei & intellectio- nis in Deo non distinguatur virtualiter adæquatè, differunt tamen distinctione eminenti, & virtuali inadæquata, penesque ordinem ad diversa connotata materialia; quæ distinctio sufficit, ut natura divina uniat sub ratione speciei, absque eo quod sub ratione intellectio- nis communicetur; sicut eadem distinctio sufficit ut gratia sanctificans participet divinam essentiam, sub munere & conceptu naturæ, seu radicis attributorum, non verò sub ratione intellectio- nis, aut speciei intelligibilis; & ut substantia Verbi, sub ratione formæ hypostaticæ, non autem sub ratione relationis, humanitati Christi communicetur.

Ad aliam probationem, nego Antecedens, unio enim per modum actûs primi in ordine intelligibili, est tantum unio comprincipativa & effectiva notitiæ, neque postulat ut quod speciei impressæ locum tenet, efficiatur ab intellectu: unitur, cum ve informet; nam juxta probabilissimam sententiam, gustatilia & tactilia, absque ulla informatione potentie tangenti- sive gustantis, per meram applicationem & assistentiam uniantur ei ad modum speciei impressæ, quæ præsentibus objectis ipsis supervacanea foret. At unionem actûs secundi quo formaliter reddamur intelligentes, necesse omnino est formalem esse, & cum inhesionem in potentia intelligente; à qua etiam necesse est ut actus ille secundus procedat, & efficienter dependeat: si enim hæc abessent, potentia non posset dici intelligere per hujusmodi actum; quia intelligere, cum sit vita actualis, & perfectio intrinseca sui ipsius à seipso, utramque illam habitudinem dependentiæ effectivæ & inhesionis includit, quas in divinum actum cadere impossibile est.

Ad tertium, concessio Antecedente, nego consequentiam; ad cujus primam probationem, nego Antecedens, ut enim docent nostri Thomistæ in libris de anima, & variis in locis asserit. Thomas, verbum non est ipsa intellectio, sed terminus intrinsecus per eam productus & expressus, in quo tanquam in imagine & similitudine expressa, & actualissimè representante, ipse intellectus contemplatur objectum.

Ad secundam distinguo Majorem: De ratione verbi propriè & adæquatè sumpti, est quod sit vitale per modum termini, concedo Majorem. De ratione verbi sumpti inadæquatè & communitè, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Cùm in verbo duo importentur, nempe ratio representationis actualissimæ objecti, & insuper ratio expressi realiterque producti à dicente; potest verbum duobus modis usurpari, adæquatè scilicet & propriè, quatenus nimirum utramque rationem importat; & inadæquatè ac impropiè, & prout dicit solum actualissimam objecti representationem. Primum modo sumptum est vitale per modum termini, ideoq; in divinis solum notionaliter dicitur, nec prout sic essentia divina sub ratione verbi mentibus beatorum unitur, cùm repugnet illam realiter exprimi seu produci ab intellectu beatorum: sumptum verò secundo modo, non dicit vitalitatem & expressivem, sed solum actualissimam objecti representationem; unde sub hac ratione dicitur in divinis essentialiter, quia essentia divina est actualissima representatio sui, ut docet D. Thomas quæst. 4. de verit. art. 2. his verbis: si

verbum

verbum propriè accipiatur, in divini non dicitur nisi perso-
 alter si autem accipiatur communiter, poterit etiam
 d. et essentialiter. Similiter essentia divina in beati-
 fica visione gerit vices verbi hoc secundo modo
 sumpti, cum actualitè seipsam beatorum
 mentibus repræsentet. Intellectio autem, quo-
 modocumque accipiatur, vitalitatem dicit, sub-
 indeque habitudinem dependentiæ effectivæ à
 principio intelligente, & egressum seu emanationem
 ab illo, quæ divino actui respectu intel-
 lectus creati prorsus repugnat: unde licet essen-
 tia divina uniatu mentibus beatorum ut ver-
 bum, nequit tamen intellectu animæ Christi sub-
 ratione intellectiois uniri.

¶ Ad quæst. 10. D. Thomæ.

DISPUTATIO XVI.

De scientia beata animæ Christi.

¶ Ad quæst. 10. D. Thomæ.

Consideratâ scientiâ Christi in communi,
 ad species ejus descendimus, & primo de
 scientiâ beata, utpote nobilitati & perfe-
 ctiori, differimus: non agimus autem de scientiâ
 beata Christi, in quantum est Deus, de hac enim
 1. parte Tractatu 3. fuse disputavimus, sed de
 scientiâ beata animæ Christi, & de hac solùm in-
 vestigamus quæ propriè pertinent ad Christum,
 ut ab aliis beatis distinguitur; quæ enim omnibus
 beatis communia sunt, ut objectum visionis
 beatae, lumen gloriæ, species intelligibilis &c. in
 Tractatu de visione beata fuse explicata sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

*An Christus, dum esset viator & in terris
 degens, scientiam beatam habuerit, et
 lamque à primo conceptionis in-
 stanti receperit?*

§. I.

Veraque difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primò, Christum adhuc viatorem, & in
 terris degentem, vidisse divinam essentiam,
 subindeque habuisse scientiam beatam.

Hanc conclusionem probat Cano lib. 12. de
 locis cap. 14. variis Scripturæ testimoniis, quæ fuse
 & elegantèr expendit, sed locus magis ido-
 neus sumitur ex cap. 3. Joannis, ubi sic habetur:
 Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, Filius
 hominis qui est in celo. Quibus verbis Christus ad-
 huc viator & in terris degens asserit se esse in
 celo: Sed esse in celo, vel in paradiso, idem est
 quod Deum videre, ubicumque videatur, ut S.
 Augustinus notavit Epist. 57. proloco exemplo
 latronis, qui cum in Lybno futurus esset quoad
 animam, tamen quia ibi visus erat Deum, dicitur
 futurus in paradiso: Ergo Christus adhuc via-
 tor & in terris degens, videbat divinam essen-
 tiam, & scientiâ beatâ potiebatur.

Notandum verò est cum Cajetanò, super
 hunc locum Joannis, scopum Christi tunc fuisse
 persuadere Nicodemò credendum sibi esse, ut-
 pote testi oculato, & qui ita in terris debebat, ut

A simul in celo esset, Deum videns quod nulli
 teriori veritatis testi, nulli unquam Propheta
 obtigerat, Unde ibidem dicebat. Quis scivit
 quid dicitur, & quod vidimus testamur. Quis scivit
 super omnes est, & quod vidit & audivit deo
 Ubi Christi testimonium idcirco aliis te-
 nis præfertur, quia non ex auditu tantum,
 alii, sed ex visu testimonium præbuit, ut
 Joan. 1. dicitur: Deum nemo vidit unquam
 qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Sed Christus
 in hac vita mortali degens, divinitus locum
 paternæ gloriæ, hæc testimonium præbuit.
 Ergo tunc divinam essentiam vidit, & scientiam
 beatâ, seu visionem beatificâ potus est. Quæ
 iam testatur mysterium transfigurationis, quod
 fuit signum gloriæ Christi latentis in anima,
 quam tunc in corpus resurre permisit, ut
 muniter docent SS. Patres.

Potest etiam suaderi conclusio triplex
 ne. Prima quam insinuat D. Thomas hic quæ-
 9. art. 1. potest sic proponi. Decens est ad
 mentum excellens, & per modum capitis
 fluens, præ habeat in se formaliter perfecti-
 quas alius communicat: Sed Christus ut homo
 causat in nobis beatitudinem supernam, con-
 consistente in visione clara Dei, per modum
 capitis & instrumenti excellentiæ: Ergo oportet
 ut in se scientiam beatam haberet.

C Secunda, quæ delimitur ex eodem S. Doctore
 supra quæst. 7. art. 1. sic procedit. Quanto
 quod receptivum est proximitas causa in fluxu
 tanto magis, & cum majori perfectione, illius
 fluxum participat: Sed influxus gratiæ est à Deo
 cui maximè humanitas Christi per unionem hy-
 postaticam conjungitur, cum ad idem esse per-
 sonale cum ipso trahatur: Ergo perfectissimam
 gratiam participat: Sed gratia perfectissima est
 gratia consummata per gloriam: Ergo anima
 Christi habuit gratiam gloriæ consummatam, id
 est cum beatificâ visione consuetudinem.

Tertia ratio sumitur ex Durando in 3. dist. 1.
 quæst. 1. num. 3. ubi sic dicitur: Decens est ut
 natura assumpta ad supremum esse, ad sup-
 ram operationem sibi possibilem elevatum.
 Sed natura humana Christi, per unionem hypo-
 staticam ad esse supremum, scilicet ad esse Ver-
 bi, assumpta est: Ergo deicit quod elevaretur ad
 supremum operari tali naturæ possibile: Sed
 beatitudo in clara Dei visione consistens, est
 operatio suprema humanitati possibilis: Ergo
 debuit humanitati Christi assumptæ ad sup-
 mum esse concedi.

Dico secundò, Christum scientiam beatam
 visionem beatificam, à primo instanti con-
 ceptionis habuit. Ita D. Thomas in 4. quæst. 4.
 art. 4. ubi docet Christum in primo sua con-
 ceptionis instanti fuisse beatum & comprehen-
 rem, idque probat in argumento sed contra et illud
 Plal. 64. Beatus quem eligit & assumpsit, quod
 dum glossam referat ad humanam Christi naturam,
 quæ assumpta est à Verbo Dei in unitatem personæ,
 in primo instanti conceptionis fuit assumpta humana na-
 tura à Verbo Dei in unitatem naturæ: Ergo in primo
 instanti sua conceptionis Christus, secundum quod homo
 fuit beatus, quod est esse comprehensorem.

Eandem veritatem suadere nititur Cano-
 præ citatus, hoc discursu: Christus à primo in-
 stanti conceptionis plenus fuit gratiæ & veritatis,
 ut patet ex illo Joan. 1. Verbum caro factum est
 & habitavit in nobis. Vidimus gloriam quæ
 unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.